





Q. N. 529, 25.

B. m. II

IIa  
156

Q. D. B. V.

DE

BIBLIOTHECA.

ADAMI.

SCHEDIASMA.

QVO.

NATALEM. SEXAGESIMUM. SECUNDUM.

VIRO.

SUMME. REVERENDO. ATQVE. AM-  
PLISSIMO.

CHRISTIANO. LEH-  
MANNO.

DOCTORI. THEOLOGO. ET. SUPERINTENDENTI.

FREIBERGENSI.

SOCERO. SVO.

GRATULATUR.

M. PAUL. CHRISTIAN. HILSCHER.

DIAC. PALÆO DRESD.

PALÆO-DRESDÆ.

TYPIS. JOAN. MICHAEL. FUNCKII.

M DCC III.



BIBLIOTHECA

ADAMI

SCHEIBLAMA

MATHEM. SEXAGESIMUM. SECUNDUM.

1710

STAMMEREYERENDO. ATOM. AM.

PLISSING

CHRISTIANO. LEH-

MANNO.

PHYSICORUM. ET. SUBRINTENDENTII

LABORATORII

SOCERO. SVO.

GRATULATUR.

M. PAUL. CHRISTIAN. HIESCHER.

DISCIPULO. DRESD.

M. JOH. BRONN.

FR. JOH. MICHAEL. FUNKEL.

M. DC. III.



LIBRARY OF THE  
UNIVERSITY OF  
SACHSEN-ANHALT





VIR. SUMME. REVERENDE. ATOVE. AMPLISSIME.  
DOMINE. SOCER. ATOVE. COMPATER.  
FILIALI. OBSEQVIO. HONORANDE.

**J**acobus Boulduccius, Parisinus, libro I, quem de Ecclesia ante lapsum composuit c. I. p. 8. tribus rationibus probat, instituta jam & celebrata ab Adamo fuisse Natalitiorum festa. Noluit scilicet ingratus esse in parentem Adamum Cappucinus, sed cum videret, Parisiis alibiqve γενέθλια fieri, etiam in Adami honorem diem solennem intimare sua esse dignum persona judicavit. Fuit enim, censente viro erudito, homo in excogitandis pro lubitu figmentis audacissimus, & plane dignus, qui historiam Lombardicam continuet, aut novos det conformitatum libros. Quod si in mentem venisset ipsi, jactitare antiquitatem, quædam scripta, quibus a Deo angelisque donatus fuisset Adamus, commode dixisset, pro sua mentiendi dexteritate, illa fuisse munuscula natalitia cœlitus data. Sic enim nostris hodie receptum est moribus, ut non votis solum, sed aliquando libellis etiam gratulari soleamus alteri memoriam bonæ nativitatis. Postulat mea in Te pietas, VIR SUMME REVERENDE, ut gaudium ob diem natalem sexagesimum secundum feliciter exortum, animo factoque officiosissime significem. Innumerabilibus enim, iisque maximis beneficiis, quibus me quotidie cumulas, jamdudum meritis es, ut si in amoris affe-



ctuatqve obsequii promptitudine palmam concedere velim aliis, ingratiſſimus eſſem mortalium. Faciendum igitur devoti eſt, lætantiſqve animi iudicium. Quod dum ago, Teqve librorum amantiſſimum eſſe recordor, opportunum fore arbitratus ſum, codices quosdam vetuſtiſſimos ex ipſo Adami Librario promere, & Tecum communicare. Donare enim, nec volo, nec poſſum. Hoc quidem, quoniam præter nomen & argumentum ad me nihil pervenit; iſtud, quia figmentorum horrea in bibliothecam tuam, optimis inſtructâ libris, comportare, prohibet religio. Recenſebo igitur ſaltem, quos habuiſſe Adamus libros perhibeatur, deqve iis, quid ſentiam, enuncia- bo, ſubmittens cogitata mea Tuo, *VIR DOCTIſſIME*, exquſito iudicio.

Inromiſſi in Bibliothecam Adami, quam veterum ſive ſuperſtitio, ſive curioſitas collegit, apparatus librorum, vix ſperandum in primordiis literarum, reperi- mus, quorum partem ipſe confeciſſe perhibetur, partem vero accepiſſe dono. Inter Arabes *Keſſaus* de vitis Patrum apud *Hottingerum* in *Hiſt. Orient.* l. i. c. 3. *viginti libros & unum* Adamo aſſignat, quorum argumentum: *Decreta, leges, ſtatuta, promiſſiones, mina, aliaqve res in mundo poſtea eventura, fuerint.* Cæteri Muhamedani in recenſendis Adami libellis non ita liberales ſunt. Libros enim Scripturæ CIV. conſingunt, quorum decem tantum miſſi ad Adamum ſint, L. ad Sethum, XXX. ad Enochum, X ad Abrahamum, Lex ad Moſem, ad Davidem Pſalmi, deniqve ad Muhamedem Alkoranus. Sed & ipſum Adamum conſcribendis libris dediſſe operam, ſunt qui arbitrentur. Relatum enim in *Rabbob* eſt: *Docent Magiſtri noſtri, quod Adam*  
*pater*

*pater noster, omnia præcepta, quæ ei Deus in borto Eden tradidit, libro complexus sit.* Gilbertus Genebrardus Chronographiæ l. 1. p. 8. testimonium Augustini de Civit. DEI l. 18. c. 38. allegat; Conscriptos ab Adamo aliquos fuisse libros. At ille hac de re nihil. Scriptorum tantum Enochi atqve Noæ; Adami nullam mentionem facit. Quod jam olim observatum a Lambecio est Prodr. Hist. Literar. l. 1. c. 3. §. 2. p. 6. Colligamus opuscula in Catalogum, quorum memoria conservata ab oblivione fuit. Inter hæc primo loco statuenda *Adami Tabula abcdaria.*

In Bibliotheca Vaticana conspicienda est imago Adami, super cujus capite XXII. Characteres literarum depicti sunt, in inferiore autem parte hæc leguntur verba: ADAM DIVINITUS EDOCTUS PRIMUS SCIENTIARUM ET LITERARUM INVENTOR. Hujus monumenti complures meminerunt, sed diversimode istud delineant. Angelus Roccha in Commentario Bibliothecæ Vaticanæ hanc literarum Adami faciem repræsentat:

*Alphabet*

IN E X B X E T T F  
J W P P A I D 3 h L

At Laurentius Schraderus in monumentis Italiæ, qui eandem picturam in Vaticano viderat, sic characteres Adamo junctas depingit:

V 3 X L W P P 3 J F  
F X E T T A I N F X U

Denique anno 1616. Jacobus Bonaventura Hephurnus, Scotus, librum publicavit, quem auream virgam insignivit, in eoqve LXIIX. alphabetorum genera recensuit, inter

A 3

quæ



quæ Adamæum, quod vocatur, tales præ se figuras fert:

Huic penitus conforme est, quod ante eum *Thesius Ambrosius*, seu *Alboncius* in appendice variarum literarum anno 1539. in lucem produxit. Consulendi hac de materia præter allegatos autores *Dominicus Fontanus* in descriptione Obelisci Vaticani, *Antonius Cicarella*, in descriptione bibliothecæ Vaticanæ, *Job. Theodorus & Israel de Bry* in tabellis alphabetariis variorum characterum, *Claudius Duretus* in historia de lingvis universi, imprimis vero *Thomas Bangius* in *Cælo Orientis*, seu de ortu & progressu literarum *Exercitatione 2.* ubi ea, quæ diximus, diligenter persequitur.

*Adami Apocalypsis, seu revelatio.*

*Epiphanius*, Gnosticorum deliria recensens, hæresi **XXVI.** indicat, divulgasse illos, revelationem Adæ, quando Deus soporem in ipsum immiserit.

*Adami liber de Chrysopoeia.*

Autor est *Antonius Del-Rio* Disquisit. Magic. l. i. c. 5. qv. **1.** Alchimie patronos, ut arti suæ antiquitatem honoremque conciliarent, librum de Chrysopoeia, ab Adamo scriptum, confinxisse.

*Seder Ladam.*

De hoc libro, seu ordine, Adamo a Deo tradito, quid sentiant Sabæi, dixit *Mublius* in Apolog. Thalmud. f. 4.

*Adami Liber de omnibus rerum virtutibus.*

Codicis ab Adamo lingua Hebræa scripti de omnibus rerum virtutibus meminit *Thomas de Torquimade* in Hexaëmero ex *Thomæ Aquinatis* libro de Ente & Essentia.

*Sepher toledoth Adam, sive Adami liber generationum.*

Hunc



Hunc a Deo dictitatum Adamo ajunt. Ejus mentionem facit *Atbanaf. Kircherus* in Obelisco Pamphili. Auctores commenti in subsidium vocant verba Geneseos cap. 5. וְזֶה סֵפֶר תּוֹלְדֹת אָדָם Applaudunt *Rambam, Abarbenel, & autor Jalkut*. Videtur etiam *Jochaides* eum habuisse in animo, quando in *Sobar* adventum Messiae eo usque differendum esse censet, donec compleatur animarum numerus, qui legeretur in *libris Adami: Hic est liber generationum Adam*. Sed & *Augustinus* contra Faustum Manichæum librum Adami commemorat, cujus inscriptio & argumentum fuerit:

*De Genealogia filiorum & filiarum Adami.*

An idem cum illo? non constat exacte. Cæterum *li-ber*, qui appellatur *de filiabus Adæ*, vel *Geneseos*, inter Apocryphos refertur a *Gelasio* *Distinct.* 15. c. 3.

*Chava.*

*Claudius Duretus* in historia de lingvis universi (quam Gallico idiomate publicavit anno 1613.) librum quendam nominat, cujus titulus: *Chava, sive omnium viventium admirabiles, & super omnes doctrinas mundi secundum Evangelicam Veteris & Novi Testamenti veritatem amplectenda Prophetia, conscripta a Razielle, Adami primi parentis Angelo, ex libro Behu, id est lucis purissima, excerpta.*

*Adami & Evæ Psalmi.*

*Psalmi Adami & Evæ* extant in *Amadei*, *Minoritæ*, revelationibus. Sed etiam apud Judæos peculiariter *Psalmus XCII.* Adamo auctori assignatur. *Chaldæus* paraphrastes cum in principio *Cantici Canticorum* Cantica decem præstantissima recenset, quibus istud tamen longe sit præstantius, *Canticum Adami* primo loco memorat. In-  
deque

de quo est, quod apud eundem paraphrasten titulus hujus Psalmsi sit: *Canticum, quod dixit homo primus de die Sabbathi.* Eundem Psalmsi autorem agnoscunt *liber Bereschit Rabba, R. Levi, Kimchius*, quorum verba *Christoph. Cartwright* in Melificio Hebraico ad hunc locum collegit. Adde *Joh. Lightfoot. Hor. Thalmud. ad Matthæum c. 12. p. 344. Hoornbeck. contra Judæos p. 511. Geier. in Psalm. Lambec. Prodr. L. 2. c. 3. p. 162. Heidegger histor. Patriarch. P. 1. Exercit. 6. §. 14. p. 215.*

*Prophetia Eva.*

Has *Duretus*, paulo ante citatus, in historia de lingvis universi allegat e libro *Behu*, ac opera *Raphaelis* conscriptas fuisse refert.

*Adami tabula Ecclesiastica.*

Natae sunt in *Carionis Chronico*. Sic enim ibi: *Scribit Josephus, Adam duas lapideas tabulas collocasse, in quibus scripsit initia creationis, lapsum hominum & promissionem. Additurque: Has tabulas existimo tanquam templum fuisse, & certi loci signum, in quem solitus est convocare suam Ecclesiam, & ubi sacrificia facta sunt & recitata doctrina.* Ex *Arabum* sententia refert *Kircherus*, loco supra allegato, Adamum laminis saxeis incisas artes cistæ lateritiæ, ne per instans diluvium perirent, inclusisse.

*Liber de pœnitentia Adami.*

Memoratur & improbat a *Gelasio Distinct. 15. c. 3.* & *Sixto Senensi*, in *Biblioth. 1. 2.*

*Liber incertus.*

*Sabæi* referunt: *Quod librum confecerit Adamus, in quo præter alia commemoret, arborem quandam esse in India, cujus ramus in terram projectus instar serpentis repat. Arborem item aliam, cujus radix habeat formam humanam & vocem vehementem, ac distincta verba edat ac loquatur: Item esse certam quandam*

dam herbam, quæ si sumatur, ac in collo suspendatur, hominem reddat invisibilem, ita ut non videri possit, quoniam ingrediatur, vel unde exeat: quod si vero de illo suffitus sub cælo consiciatur, audiri in vicino aëre fragores ac tonitrua horrenda, quamdiu fumus ille ascendit. Enarrat Hottinger. Hist. orient. l. i. c. 8.

Liber incertus.

R. Israel filius R. Moysi in Cabalistica disputatione de anima p. 5. e libro Zohar hæc consignata tradit: Ecce statuimus, quod cum esset Adam in horto voluptatis, descendere fecit ipsi sanctus B. librum per manum Razaelis angeli sancti, presidii mysteriis excelsis sanctis, in quo calata erant calatura excelsæ & sapientia sancta, ac LXXII. modi sapientia, qui distinguebantur in sexcentas septuaginta calaturas excelsorum mysteriorum.

Liber incertus.

Ex libro quodam Manuscr. sequens Arabum figmentum Kircherus in Obel. Pamphil. l. i. c. 1. annotavit: Adamum cogitantem in ripa fluminis ex Paradiso exeuntis, quibus bonis excidisset, & quas incurrisset miseras, voce, oculis, manuque ad Deum elevatis malorum aliquod remedium petiisse, & tertia die post orationem venisse angelum Raziem, ipsique porrexisset librum igni albo similem, trahentem ad se nigredinem, per quem librum potuerit intelligere, scire & cognoscere omnia mirabilia, quæ facta sunt, fuerunt, aut erunt facienda, item intelligere omnia in cælis, terris, aquis, abyssis & sub abyssis, cælos omnes, angelosque eorum ministros, virtutes & opera eorum, motum solis, luna, stellarum, earumque naturas & omnium rerum, quibus mundus regitur; Habere potestatem super quatuor partes mundi & angelos cælorum, ut mittat eos, quo voluerit, ut servum Dominus, imperare ventis nocentibus & demonibus; Juvare, nocere; percutere, sanare; solvere, ligare; interpretari somnia, sonos, tonitrua, fulgura, visiones, predicere futura in mundo quolibet pun-

B

Ho,

*Ho, qualibet hora, die, septimana, mense, anno, luce, tenebris, de bono & malo, de vita & morte, &c. ut omnia sciat & intelligat.*

*Liber incertus.*

Nominat etiam alium librum *Athanasius Kircherus*, quem ipsi suppeditavit historia Saracenicæ Manuscripta rerum ab orbe gestarum. Verba ab eo Latine reddita sic sonant: *Deinde tradidit Adamo Deus XXI. paginas suis exaratas & incisas literis. Fuit hic primus liber & prima lingua conscriptus. Continebat autem præcepta & traditiones in generationes secuturas, & interpretationem literarum, pacta, statuta, promissiones & historias mundi totius exhibebat. Et representavit Deus excelsus in hisce generationes hominum singulas, & figuras eorum, & directiones eorum cum regibus eorum, cum omnibus & singulis, quæ in terra gererentur usque ad cibos & potiones. Deinde cum Adam didisset in hisce ea, quæ filiis suis debebant accidere, flevit planctu magno. Tunc præcepit illi Deus, ut scriberet ea calamo. Et accepit pelles e pecoribus, & præparavit ipsas, & scripsit in eis XXIX. literis. Conveniunt hæc cum iis, quæ supra ex *Kessæo* retulimus, nisi quod ibi dicantur XXI. libri, hic vero tantum pagina, quibus à Deo donatus fuerit Adamus. Adami etiam scribendi ratio, & in componendis libris diligentia indicatur.*

*Adami Testamentum.*

Inter Arabes *Elmacinus*, memorat Testamentum Adami, quod vicinus morti dederit, in eoque præceperit, ut *Sethus* cum fratribus, liberis, & uxoribus suis in monte sancto habitaret. Verba ejus recitat *Heideggerus* in histor. Patriarch. P. I. Ex. 6. §. 6. Quoniam vero expressum non est, sive ore tenus traditum, sive scripto id consignatum fuerit, haud multum pugnabimus cum eo, qui inter Schedulas Adami recenseri nolit.

Ad



Ad curiosam bibliothecæ Adamææ supellectilem pertinet

*Figura Talismanica Adami.*

Sic enim de ea apud *Stephanum le Moyno*, notis ad varia sacrap. 863. ex *Abenephio*, Philosopho Arabe, legitur: *Figura crucis in cujus capite circulus in modum ansæ. Accepit eum Metfra a Chamo, Chamus a Noacho, Noachus ab Enocho, qui est Idris, Enoch a Setho, Sethus ab Adamo, Adamus a Rasele angelo, Cham vero ope ejus fecit mirabilia magna, & ab eo accepit Hermes, & posuit eum inter literas avium. Est autem hic character signum processus & motus spiritus mundi, & fuit magicum sigillum ac secretum in telesmatis eorum & annulus contra demones.*

Atque hæc fere sunt, quibus veterum intempestiva liberalitas locupletavit Adami bibliothecam, opuscula Theologica, Physica, Ethica, Genealogica, Apocalyptica, Historica, Magica, Chymica, Grammatica. Verendum nempe erat, ne si careret libris sapientissimus mortali-um, inter indoctos sedere juberetur ab iis, qui multitudine librorum eruditionem metiuntur. Ut ergo cum honore memoria ejus conservaretur, prospexit inopiæ ejus de libellis aliquot *Φιλοπάτωρ* posteritas. Vixit anno 1564. ingeniosus nequam, *Alfonsus Cicarellus*, qui in fingendis ventis libris *μυροτεχνίτης* fuit, multosque misere decepit, sed justas tandem fraudulentiaæ pœnas dedit. *Leo Allatius* in appendice ad *Antiquit. Etruscas*, indices librorum falso ab eo effectorum apponit, funestamque ejus mortem enarrat, e quo repetunt *Hoornbekius* in *Miscell. sacris* p. 10. 11. & *Spi-zelius* in *literato infelice* c. 29. p. 422. Nihil quidem ad implendam libris bibliothecam Adami contulit Cicarellus, Cicarelli tamen genius eandem instruxit operose omnis generis codicibus. Ex illis, quæ supra comportavimus,

testimoniis, tres fere conditores hujus bibliothecæ innotescunt: Deus, Angeli, Adam. Sed

*Tuta frequensque via est per eorum fallere nomen.*

Consignatum legimus, Deum libris legendis, formandis, mittendisqve dare operam. Rabbiorum effatum: *S. Benedictus studet viginti quatuor libris biblicis, & verbis Prophetis, & Hagiographis, & noctu occupatus est in sex ordinibus Talmudicis.* v. *Gaulmyn.* l. 2. notar. ad vitam & mortem Mosis c. 2-p. 289. Ita loquuntur illi. Non adeo tamen inepti sunt, ut verba juxta literæ sensum intelligi velint, sed fingunt ea, ut ad studium biblicum Dei exemplo suos efficaciter excitent. Idem sentiendum de *tribus libris*, quos anno ineunte Deus aperire perhibetur apud *Buxtorfium* Synagog. Judaic. c. 23. p. 482. indicatur enim, Deum recordari factorum hominum, aliisque irrogare pœnam, aliis destinare præmium, aliis spatium resipiscendi indulgere. Quod Mahumedes etiam innuere videtur, quando ait: *Penna Deum conscribere & annotare omnia, quæ sunt, quæ fiunt.* Mensam præterea creatam fuisse fingit, in qua omnia penna ista designentur. Sed in nugarum domo commoratur, cum addit: *Pennam hanc longitudinis esse quingentorum annorum itineris, latitudinis octoginta.* Jam juxta hanc pennulam dimetire mensam scriptoriam. Hujus etiam impostoris est sententia. *Deum primum centum & quatuor libros demisisse, horumque scientiam in quatuor ex illis, nempe Pentateucho, Evangelio, Psalterio & Phorcano tradidisse, deinde totam horum quatuor scientiam inclusisse Alcorano, totam vero Alcorani scientiam Surate ejus primæ.* Splendida mendacia!

A libris etiam & afferendis & dictandis Adamo fuisse fertur angelus *Raziel*. Atque hic is est, quem ipse e Rabbiorum sententia præceptorem habuit. Ita in Commentariis ad

ad *librum Iezira* legitur, docente id *Reuchlino* l. 1. de arte *Cabalistica*. Sed illa *Razielis* officia merito deridet *Georgius Venetus* Probl. 2.2. lect. 1. *Ludovicus S. Francisci*, Lusitanus in globo canonum & arcanorum linguæ sanctæ, aliiqve, qui fabulas averfantur. *Albonesius* in appendice introductionis ad *Chaldaicam* aliasqve linguas, collegam *Raziel* adjungit *Raphaelem*. Legisse enim se ait in libris *Antonii de Fantis* *Tarvisini*, Philosophi atque *Astrologi*, traditum in *Razielis* opere, angelum *Raphael* in libro, qui dicitur *Liber ignis*, literas *Adæ* *protoplasto* dedisse scriptas. Quod, quam incongrue dicatur, pluribus testatum fecit *Bangius* Exercit. de literis *Adami* p. 121. Scilicet ut figmentis autoritatem conciliarent, non *Muhamedes* solum atqve *Judæi*, sed alii etiam falsorum dogmatum artifices, missos a Deo allatosqve cœlitus aut dictatos etiam a Christo angelisve libros, epistolas, schedasqve, fuerunt commenti, quorum Catalogum *Dissertationi de Pseudepigraphis Christi, Mariae & Apostolorum* c. 3. inferuit celeb. *Thomas Ittigius*.

Nec ulla ratione firmiter edoceri potest, ipsum *Adamum* conscribendis hisce, quos recensuimus, libris, vacasse, eorumqve autorem esse. De penna ejus, & pellibus, apparatu ejus scriptorio, non nihil supra diximus, Diximus, nec tamen ipsi credimus.

*Credat Judæus apella.*

Alia habuit bibliotheca *Adami* initia. Inconsiderantia, malitia, superstitio, ignorantia, confusio & similia hujus generis monstra posuerunt fundamentum. Fingendi enim non una omnibus ratio. Quidam tantum animi gratia, & exercendi ingenii causa adjecerunt libellum. Fecisse id mihi videtur, qui *Adamum*, in *Vaticana* bibliotheca depictum, literarum inventorem esse voluit. Decretum namqve



erat, omnes homines, qui ob eruditionem a rerum primordiis celebriores fuerunt, penicillo designatos ornatosque titulo collocare in Vaticana. Ordinem recenset, singulorumque inscriptiones recitat *Antonius Cicarella* in descriptione Vaticanae, quam vitae Sixti V. historiae Platinae subnexam, cum aliis hujus generis scriptis *Joach. Joan. Maderus*, publicavit. Commodum igitur visum fuit prima literarum elementa adjungere Adamo. Nam

*Fertur Adam longas laterum formasse figuras,  
In quibus & rerum statuit describere summas;  
A quibus accipimus, si qua vetusta damus.*

Uti *Godofr. Viterbiensis* in Chronico P. I. p. 15. & cum eo veterum complures sentiunt. Sed cum figuræ Adamæ alphabeti, quippe quæ fuerunt nunquam, ignorentur, literas inusitate factas, Hebræis tamen quodammodo similes appinxerunt, ut sic & antiquiores viderentur, & admirationem intuentibus excitarent. Quod enim in Vaticana bibliotheca reperitur, id opinione hominum non potest non rarissimum esse, & dignum applausu. Etiam telæ aranearum, quæ hærent in parietibus, nostris longe pulchriores æstimantur ab oculis vagantium. Sed unde pictor habuit illas elementorum figuras? E libro? Dolendum oppido est, illum librum tam negligenter habitum, ut non solum perierit, sed ita etiam perierit, ne ejus vel memoria vel nomen superfit. Ex revelatione? Sic opus foret nova revelatione, ne illa revelatio videretur mendacium. Ex ingenio? bonum factum! Absolutus es, bone Adame, ab inventione tam inconditi alphabeti. Vade in pace.

Quædam ornamenta legavit bibliothecæ hominum *inconsiderantia*. Atque ita tabulæ, quarum Chronicon Carionis



rionis meminit, ad eandem pervenerunt. Quæ enim a Josepho allegantur, in Josepho non comparent. De Sethi posteris, cœlestium rerum peritissimis, ibi hæc leguntur: *Ne inventa sua ex hominum notitia dilaberentur, & prius perirent, quam pernoscerentur, scientes Adamum universalem rerum interitum præcecinisse, unum incendio, diluvio alterum, excitatis duabus columnis, utrique sua inventa inscripserunt, ut si lateritiam diluvio deleri contingeret, lapidea superstes hominibus discendi copiam faceret, & quæ inscripta continebat, spectanda exhiberet.* Joseph. Antiquit. Jud. l. 1. c. 3. De vaticinio Adami, non de Adami tabulis sermo est. Tabulas ne nominat quidem Josephus, sed columnas. Nec historia rerum Ecclesiasticarum, sed scientiis astronomicis signatas fuisse ait. Adeo ille de Adami tabellis nihil vel vidit, vel dixit, vel audivit. Cæterum de his five columnis five tabulis Sethianis multa apud autores inveniuntur. Meminerunt earum Zonaras Annal. T. 1. Genebrardus Chronogr. I. Eustathius in Hexaëmeron Commentario p. 47. edit. Allatii. Vossius de ætate mundi c. 10. p. 271. Huëtius Demonstrat. Evang. Propos. 4. idem de Paradiso p. 63. Bangius cælo Orientis Exercit. I. qv. 4. p. 12. Exercit. II. qv. 6. p. 124. Lambecius Prodromo hist. literar. l. 1. c. 3. p. 7. Saldenus Otiis Exercit. I. §. 4. Boulducci de Ecclesia ante legem l. 1. c. 2. p. 29. Maderus de Scriptis & Bibliothecis antediluvianis p. 9. Vockerot de re literaria antediluv. c. 2. §. 11. Tredecim rationibus evertit has columnas Dorſcheus in fine Syllabi quæstionum, Theologiæ Zacharianæ adjectarum. Omnium vero prolixissime hanc materiam tractavit Ægidius Strauchius in Dissert. de columnis Sethianis Witebergæ 1669. habita, & recenter Christian Thomafius in Exercit. 19. T. 1. Observat. Hallensium p. 292.

In



In agenda Adami bibliotheca etiam *mala verborum interpretatio* partes habuit. Atque hæc inter alia confarcinavit librum generationis Adami. Moses enim scribens: *Hic est Liber generationum Adami*, non alium dictorum sensum esse voluit, quam cum alibi posuit: *Istæ sunt generationes Noæ; Istæ sunt generationes Jacobi*. Gen. 6, 9. c. 37, 2. Veritatem hujus agnoverunt paraphrastæ Chaldaici, *Onkelosus* & *Jonathan*, quorum alter eadem fere verba repetit, alter vero exponit: *Chronicon seu annales filiorum Adami*. Invito igitur originali textu mundo innotuit liber iste Adami. Sic comparata res etiam cum aliis fuit.

*Ignorantia* quoque, quo dicendi genere & sensu verba prolata fuerint, fingendi hic artifex fuit. Contemplemur illum a Raziæ allatum codicem. Habemus eum indicio Judæorum. Judæorum doctrina delectatur verborum involucris, & multum habet mythici, quibus si contingat interpretes absurdus, absurda catervatim provolant. Sin; optimum sensum, aut tamen tolerabilem reddunt. Posteriores Judæi sæpissime ipsi veterum sapientiam dementarunt ignavo interpretamento. Ingenue Rabbi Simonides in Talmude fatetur suorum stupiditatem: *Si majores nostri angelorum filii fuere, nos merorum homuncionum filii sumus; & si majores filii homuncionum erant, nos quasi asini sumus, nec vel comparandi ad asinum R. Chanina Duxæ filii, aut eum, quem R. Pinchasus Jairi filius possidebat, sed ad asinos quales communiter*. Nec fallit. Veterum enim dicta multum ingenii, multum judicii, multum etiam pietatis aliquando habent. Sit ergo, quod illi de Adami libris sententiæ deliria illeverint recentiores, veterum mens longe serenior. Digna sunt, quæ hic legantur verba Hermanni Witfii. i. de Prophetia ante legem c. 19. §. 3. p. 192. *Hebræorum magistri ajunt, codi-*

dicem quendam, cœlestem sapientiam continentem, a Domino secretorum Adamo fuisse traditum. Quem quidem secum Paradiso efferre conatus sit; sed ereptum vix dum egresso, & in cœlum subductum fuisse. Mox tamen ad ejus supplicationem restitutum, ea lege, ut sapientiam inibi contentam cum posteritate communicaret. Ridicula quidem hæc prima fronte videntur: at continent catechesin veterum, ac parabolico sermone sequentes veritates docent: 1. notitiam divinarum rerum in statu integritatis Adamo fuisse communicatam partim per Φανέρωσιν, quoad τὸ γνωστὸν τῆ θεῆς, partim per ἀποκάλυψιν τῶν μυστηρίων. 2. Notitiam eam magna ex parte amissam fuisse justo Dei judicio, quo vindicabat sanctissimæ legis suæ transgressionem. Hoc notatur libri istius subductione, quum expelleretur Paradiso. 3. eandem clementer restitutam esse, postquam admissus esset ad gratiam: addita doctrina Evangelii. 4. ad officium Adami pertinuisse, ut posteros erudiret de Dei cognitione & cultu. Non ergo omnes qui Adamo tribuerunt libros, dixerunt falsa, sed qui animum eorum ex verbis potius, quam sensu judicarunt. Eadem esto de Arabibus sententia. Habent sapientes, habent etiam nugivendos. Quæ igitur de libris Adamæis fabulantur, aliqua incrustatam doctrinam continent, non omnibus investigandam.

Figmenta etiam veterum librorum dedisse videtur prurigo defendendi novas opiniones. Pulchre Vockerodt in historia societatum ante diluvium c. 1. §. 5. p. 6. Compertum est, quo pestilentior fuit hæresis, eo majori audacia in pervertendis divinis scripturis, aut novis fingendis usam fuisse, si quidem nimia statutorum absurditas speciosa detorsioni S. Scripturæ repugnaret. Tantum non omnis secta divina revelatione niti volebat. Maluerunt autem vel ideo commenta sua ad ἀδελφὸν illud seculum referre, ut in obscuritate rerum gestarum major fingendi esset licentia. Sic Gnostici ad revelationes, Manichæi librum de Genealogia Adami fuerunt commenti.

C

De-

Denique *Superstitio* quoque in hoc Adami Musæo negotiosa fuit. Cornelius Agrippa in libro, quem de vanitate scientiarum composuit, inter libros Goëticos numerat cap. 45. etiam Adami, deque iis sic pronunciat: *Libri* (qui a Raziële & Raphaele Adamo & Tobiaë traditi feruntur) *acutius inspicienti, suorum praeceptorum canonem, rituum consuetudinem, verborum & characterum genus, extructionis ordinem, insulsam phrasin, aperte sese produnt, non nisi meras nugas ac imposturas continere, ac posterioribus temporibus ab omnis antiquæ magiæ ignavis, perditissimis perditionum artificibus, esse conflatos ex profanis quibusdam observationibus, nostræ religionis ceremoniis permixtis, infitisque ignotis multis nominibus, & signaculis, ut perterreant rudes & simplices, & stupori sint insensatis, & his, qui nesciunt bonas literas.* Quod iudicium vel ideo dignum laude est, quoniam ab eo prolatum fuit, qui olim curiosis artibus deditus, nunc resipuerat. Ipse palinodiam capiti quadragesimo octavo citati libri inseruit.

Numerum librorum Adami auxisse tandem censeo, quod obscurius interdum summa eorum & argumentum indicatum fuerit. Sic enim proclivis fuit *confusio*, ut unus idemque liber semel iterumque poneretur. Sæpius etiam decepit Lectorem titulus, ut unus reputarentur plures, & plures unus. Ac valde vereor, ne nobis quoque error iste deprecandus sit. Accuratiorem vero librorum Adami recensionem expectamus a viro doctissimo *Job. Alberto Fabricio*, amico nostro integerrimo, in *Sylloge Apocryphorum Veteris Testamenti*, cujus spem nuperrime fecit cum codicem apocryphorum N.T. luci publicæ exponeret. Properamus nos ad reliqua.

Vidimus, quibus artibus bibliotheca Adami instructa fuerit, & ceperit incrementum. Sed quid factum de illa post mortem possessoris? Adhuc vivente ipso unum alterumque librum biblio-

bibliothecæ ejus subtractum legimus. *Voissinus* enim in notis ad R. Israelis filii R. Mosis disputationem de anima p. 217. ex Libro *Zohar* docet, quod liber iste, qui a Deo per Raziem angelum donatus perhibetur, sit ablati Adamo jam expulso e Paradiso. Et addit: *Quamobrem dolore confectus conjecit se in aquas Gichon cervicē tenuit.* Cum vero jam totum corpus ejus squalore obstitum esset, imperavit Deus, ut liber ei redderetur, ne sapientia & doctrina privarentur homines. Adam tradidit eum Seth filio suo, a quo pervenit ad Enoch, ab Enoch ad Abraham, & sic deinceps ad sapientissimos cujusque generationis. De significatione hujus narrationis supra recitavimus verba *Witsii*. Hæc Judæorum de fato bibliothecæ Adamæ opinio. Nunc etiam Arabem audiamus. *Kessaus* apud *Hottingerum* in H. O. L. 1. c. 8. narrat, quod ad *Sabeos* cum pervenisset Abraham, aperuerit cistam Adami, & ecce in ea libri Adami, codex item *Sabethi* & *Esdri*, nomina etiam omnium prophetarum post Abrahamum mittendorum. Atque sic explicatum est ad quem hæredem pervenerit bibliotheca Adami. Inclusa fuit arcæ, & ita migravit ad posteros.

Hæc sunt, quæ de Bibliotheca τῆ περγόνης καὶ πᾶντων ἀνθρώπων προπάροιθε, ut loquar cum Gregorio Nazianzeno, confabulari Tecum, *VIR VENERANDE* decreveram. Etsi vero conficta esse, quæ de illa antiquitus circumferuntur credamus, non male tamen fingimus, opinor, tribus imprimis libris instructum a Deo fuisse Adamum. Primus fuit *Liber rationis*. Præditus enim insigni fuit sapientia, imaginemque Dei, ad quam conditus fuit, exacte retulit, ut non solum nosset vera, sed etiam ageret recta. Et quanquam post lapsum, infandam hujus boni jacturam fecerit, tantam tamen intelligendi judicandique facultatem reliquam habuit, ut merito inter posteros sapientissimus nominetur. Secundus fuit *Liber Mundi*. Degens namque in hac rerum universitate, ubique vestigia & monumenta Divinæ sapientiæ, potestatis, virtutis, atque bonitatis observavit. Rectissime Antonius ille, Monachus Ægyptius, quæsitus a Philosopho: Quibus uteretur libris? respondit, referre Socrate H. E. 1. 4. c. 23. τὸ ἐμὸν βιβλίον, ὃ Φιλόσοφος, ἢ Φύσις τῶν γενομένων ἐστὶ, καὶ πάρεστιν, ὅτε βέλομαι τὰς λόγους ἀναγιγνώσκων τὰ ἱεῖ. Ac eleganter Chrysofomus Homil. V. in I. ad Corinth. Deum

QK Ha 156

Deum philosophis gentilibus mundum dedisse, ait, ἀνὴ δέλεος, loco libri. Tertius est *Liber revelationis*. Nam Deo familiariter usus Adamus, ab eo didicit, quæ sacris literis postmodum consignata ad posteritatem pervenerunt. Amplissima hæc in compendio Bibliotheca! Non erraverim equidem, si dixerò, Te, VIR SUMME REVERENDE ob præclara ingenii judicii que dona, solidam eruditionem, exquisitam multarum rerum experientiam, imprimis vero piam sacrarum literarum, divinorumque mysteriorum cognitionem, vivam esse bibliothecam; sed quoniam pro singulari tua modestia semper deprecari meritissimas laudes consuevisti, nolo hæc molestius deprædicare. Deum tamen devotissima mente imploro, ut Te mihi meisque, compluribusque aliis, qui Te sincere amant, maxime vero Ecclesiæ, incolumem conservare sospitemque velit.

*Mittat ab excelsis Tibi & auxilietur Olympo,  
Eque sacra certam sede Sionis opem!*

*Omnia quæ cupies Tibi in omnibus annuat horis,  
Consiliumque animi compleat omne Tui!*

Daniel Greferus, Pastor & Superintendens quondam Dresdensis, annos sexaginta unum, & D. Johannes Major, Pastor & Superintendens Jenensis, annos sexaginta duos officio sacro præfuerunt. Tu, SENEX VENERANDE, sexagesimum primum ætatis annum jamjam post te relinquis, & ingrederis hodie sexagesimum secundum. Faxit Deus ter optimus atque maximus, ut toties natalis officii redeat aliquando feliciter, quoties natalem vitam hæctenus celebraisti. Scripturam sacram mediæ ævi scriptores non incongrue Bibliothecam dixerunt; quæ cum Jesum, secundum Adamum, autorem habeat, aptissimo nomine vocari potest *Bibliotheca Adami secundi*. Cumulatæ in hac secundi Adami bibliotheca continentur benedictiones promissæ divinitus iis, qui vitam sanctitati student, quæ, ut in Te, SOCER HONORATISSIME, DILECTISSIMEQUE impleantur, precari nunquam sum desiturus ego, obstrictissimus gener. Scribebam Palæo-Dresdæ ann. 1703. d. 13. Decemb. styli emendati, qui respondet 2. Decembr. styli Juliani, tuo olim natali an. 1642.

Ne properent! Lente, lente, tua fata incedant!  
Utque dies plures dent Tibi, cedo meos.

211



Pou Tia 156

CX 2164 214

Do







Q.N. 529, 25.

Q. D. B.

DE

# BIBLIOTHECA ADAM

## SCHEDIA

QVO.

NATALEM. SEXAGESIMU

VIRO.

SUMME, REVERENDO  
PLISSIMO

# CHRISTIAN

# MANN

DOCTORI. THEOLOGO. ET. SU

FREIBERGE

# SOCERO.

GRATULATU

# M. PAUL. CHRISTIAN

DIAC. PALÆO D

PALÆO-DRESD

TYPIS. JOAN. MICHAEL

M DCC III



**B.I.G.**

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

**Farbkarte #13**

Inches

Centimetres

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

a  
6

